



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 52. S. Engelbertus Germaniæ Rector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII. Vatacium Imperatorem Manuel *Charitopulus* Patriarcha coronavit; nam Michaelis Autoriano defuncto, Theodorus Ironicus cognomento *Copas* die Dominica vigesima Septembris anno millesimo ducentesimo decimo quinto ordinatus fuerat. Ei, elapso sexennio, anno millesimo ducentesimo vigesimo primo, successit Maximus, Monachus Abbas Acemetarum, qui istud in Ecclesia fastigium feminarum in Regia dominantium favori in acceptis referebat. Verum tanto honori Maximus amplius quam mensibus sex superstes non fuit, eique Manuel *Charitopulus*, cognomento Philosophus, subrogatus est.

§. LII.

S. Engelbertus Germaniæ Rector.

Anno millesimo ducentesimo vigesimo postquam Fridericus Imperator Henricum filium suum natu majorem in Comitibus Francofordiensibus Regem Romanorum salutari curasset, in Italiam profectus, eundem cum Vicarii potestate in Germania reliquerat. Quia vero necdum annos pueriles erat egressus, filii adolescentiam Principibus commendavit, eique Tutorem ac Imperio in Germania Moderatorem addidit Engelbertum, Archiepiscopum Coloniensem, cujus viri merita satis perspecta sibi habebatur.

*Alb. Stad.
& Godefr.
1220.*

Sup. n. 37.

bebat. Engelbertus, Imperii Principi- Sæcul. XIII.
 bus Aquisgranum advocatis, die octava A. C. 1222.
 Maji anno millesimo ducentesimo vige-
 simo secundo, Dominica ante Ascensio-
 nem, solemniter ritum juvenem Regem un-
 xit, quem amabat ut filium, ac revere-
 batur ut Regem; nam auctoritate, sibi Godef. 1222.
 ab Imperatore commissa, non alio con-
 silio, non alia mente utebatur, quam ut
 in omnibus ordinibus regnaret Justitia.
 Quod strenuo viro hinc odium impro-
 borum, raptò vivere cupientium, inde
 bonorum omnium, maxime mercato-
 rum, benevolentiam & amorem conci-
 liavit. Ad comprimendos Rebelles,
 duos quos acceperat gladios, spirituales
 tanquam Episcopus, & ferreum tanquam
 Dux adhibebat. Ita Cæsarius mona-
 chus ipsius vitæ Scriptor loquitur. A-
 lios excommunicabat, alios armis fran-
 gebat, nec enim a tempore S. Brunonis, Sup. Lib.
 Imperatoris Ottonis I. fratris, Archiepi- LV. n. 43.
 scopum Coloniensem alter Engelberto
 potentior occurrit. Is multas ditiones
 & multa Feuda, longo tempore Ecclesiæ
 suæ subtracta, vindicavit, aliis rebus im-
 mobilibus coemptis locupletavit, turre-
 arces, aliaque ædificia magnifici plane c. 6.
 operis extruxit. Aliquando viris Reli-
 giosis, ipsum reprehendentibus, quod
 vectigalia a populo exigeret, factum
 excusans dixit; se sine auro pacem pa-
 triæ

Sæcul. XIII.
A. C. 1222.

c. 8.

tria conservare non posse. Fame illam regionem anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto premente, cum nequidem numerata pecunia frumentum comparari posset, annonam coemit, atque ipso curante ex provincia Moguntina advectam in monasteria, in quibus maxime erat panis penuria, distribui iussit. Quippe Engelbertus viros Religiosos diligebat ac Præpositorum suorum loco honorabat.

c. 9.

Presbyteros quoque etiam pauperimos honore prosequabatur, quos de sua patina pascebat, & de poculo suo, postpositis Nobilibus sæcularibus, potabat. Cum non nulli Fratres novi Instituti Prædicatorum & Minorum Coloniæ venissent, & quidam ex Clericis eos laceffentes, varias querelas Engelberto Archiepiscopo exposuissent, ille respondit: *Quamdiu res bene cedit, sinite eos suo more vivere.* Atque eorum accusatoribus, viris in Capitulo Cathedrali dignitate præditis, & Parochis, instantibus: *Timemus, ne Fratres isti, illi ipsi sint, de quibus S. Hildegardis vaticinata est, futurum, ut opprimant Clericos, & salus Civitatis periclitetur, iterum Archiepiscopus: Si hoc vaticinium Deus adspirante editum est, quidquid contra moliamini, implebitur.* Quo responso jurgia compefcuit.

c. 7.

§. LIII.